rem,nec ſub pellibus actam hyemẽ,ferienda ſit fatigato foſſa,pro uallo portiſq; uigilandum, fortiter ancipites inibimus pugnas,uulnera laude penſabimus,mors erit ignominia potior. Quicquid in pugna patimur uiroꝝ eſt.Imperet aſperas tribunus expeditiones,ſi quo uertice montis hoſtis pellendus eſt,ſi inter infeſtos armatis ſaltus ſpeculandũ,ſæuiat denicq; in terga uerberibus,exigat ſeruilẽ plagarꝝ patientiã,leno etiam ſeruis excipit, fortaſſe hac lege captiuos uendes. Si meretricia imperat neceſſitas,ſi aduerſus obſcœnã uim corruptoris arma tantũ contumeliæ cauſa habemus,potius caſtra capiant,& uim tribuni interpellet Cimber. Nihil tale nouere Germani,& ſanctius uiuit ad oceanũ. Quid futurꝝ eſt imperator ſi ad pudicitiam militũ pertinet uinci? An ignoramus imperator quanta quondã Po.Ro. exarſerit ſeditio,cũ ex domo fœneratoris addictus lacero uerberibus tergo prorupiſſet in publicũ,& illas ſupplicioꝝ notas tuliſſe ſe quereret,q uim corruptoris pati noluiſſet? Et ille tamen quanq; hoc flagitium conatus in addicto ac pene uix libero,uidebat aliquatenus memor fuiſſe Romanæ ſanctitatis,qui uim obſcœniſſimã nõ tentauerat niſi aduerſus alligatas manus. Eo tñ uſq; Po. Ro.uindicta proceſſit,ut ardentibus bello finibus ad delectum nemo reſponderet,niſi & pœna corruptoris & abrogatione legis ſatiſfactum eſſet. Nolebãt militare,quãuis hanc iniuriam non miles acceperat. Quid de Fabio Eburno loquar,qui filium impudicum cognita domi cauſa necauit? Iam iã commilito quicunq; caſus manet,etiã ſi imperator te damnaturus eſt,habes ſolatium,ſatius eſt quam a patre occidi, At propinquus. C. Marij fuit. Corrumpitis iudicem, & animo alioqui leui graue pondus imponitis. Propinquus tuus fuit. O rem omnibus narrandã,cum abſolueris. Nam ſi quid tibi iudicãdi fides tua cauſa facere permittit,cogites profecto quantũ tibi hoc ipſum apud æmulos,quos uirtutibus offendis,allaturꝝ ſit inuidiæ,cũ uidebaris aut corruptorẽ militis iudicaſſe innocẽtẽ,aut propinquũ tuum etiam uindicare nocentẽ. Olim iam imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locũ quærit,& natura quidẽ omnibus nouitatis incremẽtis aduerſa nobilitas,tuis tñ laudibus preſſa & obruta,rimat occaſionem criminũ. Quod ſi bene inuidiã noui,hoc quoq; tibi obijcietur,q ſaltem propinquus tuus peccauit. Quare abdicandus & eiurandus eſt nõ tuus ſanguis. Certe nahil minus committẽdum, q; ut ulciſcaris hoc flagitium in eo p̃ſertim,qui apud malignos poterit uideri te permittente feciſſe. An ille ſi unq; cogitaſſet ſe eſſe propinquum tuum,non has uirtutes tuas,inter quas fortuna tua minima eſt,cum ei uelut propius contemplari licuiſſet,toto pectore haurire debuerat? Non huic affinitatis ſuæ fœlicitati referre gratiã? Milites te melius imitant. Quod ſi poſt hanc mentem uiueret tribunus,neceſſarium forſitan erat hac quoq; eum premi inuidia,q iſta feciſſet Marij propinquus,q ex ipſa ſtirpe uirtutum ſuſtuliſſet ſe flagitii ſoboles. Nam cum bene ſit liberata probro familia, quid attinet illud ſubinde Mario obijcere? Optimum fuerat non habuiſſe talem proximũ,aut libenter perdidiſſe. Perorata Imperator,ut mediocritas ingenij mei tulit ,cauſa,ſcio commendationis partes eſſe reliquas,ſed has ſuperuacuas facit ſanctitas tua. Quid em uerear ne noceat reo humilitas apud te,cui uel gratior poteſt eſſe nuda uirtus,apud quem maximum eſt ex ſe cœpiſſe? Cõmendem tibi ordinem caligati militis, quẽ uelut incrementorum tuorum natalem libenter ab alto reſpicis? Adhuc ſortaſſe patricium ualuerit genus,ſed ductum tuis longa ſerie dignitatis ordinem ipſa uirtutum conditione meliorem feciſti. Nondum potuit altius procedere uir adhuc huius ætatis. Tamen cum uirũ fortem,cum dignum tuis caſtris,tuis auſpicijs probarim,commẽdo tibi quicquid melius miles fieri poteſt. Hoc quidem profecto nõ expectas,ut in extrema actione miſerabili fletu,& humili obteſtatione uitam genu nixus petat, nec tu rogari ab innocente exigis, nec uiro forti opus eſt precari abſolutionem. Vnum rogat,ut ſi quid de cauſa illius dubitas,des dilationem uſq; ad proximum prælium,pone in prima acie,pone ante ſigna (fortiter dixerim) non inter tyrones,ubi plus periculi,quo maximus hoſtium globus ingruet,ſpecta pugnantem.affirmo tunc minus ignoſces tribuno. Liceat ire in aciem,congredi cum hoſtibus. Si perire debet,rogat te imperator miles tuus,opera mortis ſuæ utaris fœliciter.

Argumentum Declamationis.IIII.

Vir fortis optet præmium qd uolet. Qui cauſas uoluntariæ mortis in ſenatu nõ reddiderit,inſepultus abijciatur. Quidam de partu uxoris mathematicum conſuluit. Is reſpondit uirum fortem futurum qui naſcere tur,deinde parricidam. Cum adoleuiſſet,qui erat natus,bello patriæ fortiter fecit,reddit cauſas uoluntariæ mortis. Pater contradicit,

Pro Filio contra Patrem.

POsitus patres conscripti in ea conditione tristissimæ sortis, ut nec morte dignus sim, nisi me parricidam putetis, nec præmio, nisi innocentem, adeoq; ludibrijs miseræ sim diuersitatis uel necessitatis implicitus, ut impetrandum a uobis habeam odij mei fauorẽ, quæso præter omnia, quæ ante hoc tempus circa nos ordo prædictæ ueritatis explicuit, attulisse me credatis urgentium malorum probationẽ. De parricidio uenit, q̃ occidere me possum, de fato, q̃ mihi nõ licet mori. Non solum mathematicus sæculo temporibusq; prædixit has manus, sed & ego me parricidiũ credo facturum, plus q̃ responsum q̃ sacræ artis triste præsagium est, qd̃ mihi sic minatur animus meus. Non habeo infœlix in cogitationibus meis unde non timeã, & facinus, quod sibi pro me pietas patris, quod singulorũ innocẽtia rogat sentio, patior, agnosco. Ne quis me tñ laborare putet miseræ ꝓsuasionis errore, accipite cur nõ possim dubitare de fato. Parricidium credit, qui facturus est, non timet, qui periturus est. Ante omnia igitur a gratuitate publica peto, ne pro tota innocentia mea contenti sitis hoc, q̃ uolo mori Nec quia uideor contendere cum mathematico, uincere necessitates, expugnare fatũ, ideo mihi bene credi putetis & uitam. Aliud est facinus, non esse facturũ, aliud, mori uelle ne facias. Quinimmo (siqua est fides) hoc quod uos constantiam putatis, infirmitas est, q̃ ad suprema confugio, animum meũ noui. Nouissima uictæ mentis integritas est in mea potestate, breui nõ habeo nec mortẽ. Fidem uestrã. P. C. ne quid amplius de misera pietate speretis. Qui mori uolo ne parricidiũ admittam, non inuenio quẽadmodum illud possim nõ facere uicturus. Nam quod ad patrem pertinet, qui me retinet uiuere nolentẽ, non miror, q̃ adhuc recẽti gloriæ nostræ gaudio stupet, & in opera mea totus oculis animoq; conuersus, parricidam non uidet per uirũ fortem. Hic est animus, quo me q̃uis denuntiatũ prædictumq; seruauit, & cũ incertis adhuc dubijsq; uirtutibus præstiterit ut uiuerem, præstat meritis actisq; ne moriar. Nunc ille, q̃ pietate, q̃ uideor istius perire reuerentia, uocat parricidiũ suum, & in orbitate quã sibi facere uidetur, non remediũ meũ, sed suum spectat affectum. Filius qui uult mori ne parricida fit, aliter sibi uidetur remunerari non posse, q̃ ut ipse moriatur. Merito prorsus, merito miserũ senem, tristes sollicitudines, & præscij metus ad mathematicũ & responsa miserunt. Debui uir fortis nũtiari, parricida prædici. Siue enim miseræ coniugis prodigiosa fœcunditas tumultuosis pulsibus maritales iquietauit amplexus, seu per anxias noctes diroscq; somnos feralibus senex imaginibus agitatus dicitur ad notissimũ sacræ artis antistitem, non spes, non auida uota, sed spiria, metus, & præsagiũ magni nescio cuius incerti detulisse pallorẽ, Quid aliud hoc esse uultis. P. C. q̃ primam fatalis instinctus necessitatem? De ꝓtu uxoris nõ interrogare, deinde nõ credidit. Referam nunc. P. C. cuius artis, cuius fuisse dicatur auctoritatis, quem putauit adeundum, qui sic timebat. Homo qui (quod certum habeo) plurimis meruerat experimentis, ut ad illũ uelut ad oracula deorũ, plenumq; sacro spiritu pectus, hominũ sollicitudines metusq; cõfugerent, dicitur inspecta totius ratione cœli, digestis sideribus in numeros, ad publici priuatiq; fati stupuisse conspectum, & tanta prosperorũ tristiũq; congerie magis ipso consultore perterritus, diu non cõmisisse uerbis, quod uidebat. Sed o uirũ grauitatis antiquæ, dignumq; cui se fatorum arcana nudarent. Cum partus de quo quærebatur, multa præstaret propiora prospera, lætos incipientes annos, nõ fuit contentus meliora prædicere, sed (quæ certissima est uera proferentium fides) quicquid deprehenderat protulit in medium, & proclamauit uirũ fortem, deinde parricidã. Quis unq̃ P. C. fiducia maiore respondit? Cum summũ facinus denuntiaret, ante se dixit probaturũ. Fecerat profecto. P. C. interrogando mathematicũ pater, rem non educaturi, si quid tristius comperisset, nisi hoc primũ de fato fuisset ut uiuerem. Sed nec mathematici fides circa momentum aliquemue cessauit ordinẽ, non numerus fefellit, non sexus in partu, non iuuenta, non robur. Illa quoq; quæ uelut extrinsecus consentiebant, affuere responso, bellum, hostis, acies, ad illã ipsam qua fortiter facere poteramus, ætatem. Pater uero periculi sui denuntiatione non territus, arma mihi, pro tristis necessitas, arma ipse circundedit, & suis ad pugnam manibus aptauit, tanq̃ mathematico id iam credidisset. Quis miret q̃ responsum non contempserit, dum sperabat ut fortiter facerem? Mori me non uult, & iam non superest nisi parricidium. O mors laudanda fortibus, expetenda miseris, non recusanda fœlicibus, quantum te quæsiuimus in bello. Tuli enim (deos testor) in aciem, tuli nõ uirium iactationẽ, non gloriæ cupiditatem, sed ut patriæ præstaret aliquid utilitas mei, ut hunc mihi deploratum spiritum, hoc destinatum damnatumq; corpus, publicarũ utilitatum usus absumeret. Ibi miser primum didici, q̃ multa nescientes. q̃ multa faceremus inuiti. In medios hostium globos perditus pugnator exilij, cessit acies. Densissima quæq; certamina solus inuasi, resistere nemo sustinuit. Obuijs ictibus mẽbra nudaui, & ad incurrens ubiq; ferrum uitalia parata circũtuli, uacua circa me tela ceciderunt. Miserum me deceptæ cogitationis euentu,

fortiter

fortiter feci dum mereor occidi. Recedite gratulationes, abite laudantes, non circũeo templa, non reddo uota numinibus, ad parricidiũ ueni. Quem ego paulo ante passus sum miseræ conscientiæ pudorẽ, ad patrem arma nõ retuli. Timui quinimo ne mihi dum reuertor occurreret, ne in oscula mea plenasq; adhuc uictricibus telis manus incauto rueret amplexu. Quam tũc inter cæteras exclamationes deducentis exercitus uocẽ, quod circumstantis populi murmur excepi? Magnum fœlicemq; iuuenem si subito moreretur. Adiuuate diij pariter atq; homines, dum perire cõcupisco, dum uolo, miseremini, ne hunc ardorẽ fugientis animæ dilatione laxetis. Proclamo, testor, ĩ nouissimo fati stamus abrupto, prope est ut occidat patrem parricida p̃dictus, cum est mori paratus. Quid me pr̃ adhuc detines? Quid moraris abeuntẽ? Melius quidem fuerat hunc spiritũ aut in ipsa maternorũ uiscerum sede comprimere, aut ut primũ contactu suo cœlum terrasq; polluerat, festinata morte dimittere. Sane tñ charitas patriæ priuatos uicerit metus, & in honorem uirtutũ scelera nutrita sint, quicquid ẽ propter quod educari me tanti fuit, explicitũ peractumq; est. Restat una pars fati, ultimũ solũq; facinus. Frustra me cõsolaris æquanimitate patientiaq; tua. Non idem utriusq; nostrum discrimen agitur. Tu mori periclitaris, ego patrẽ inuitus occidere. Hoc primum itaq; excuso uobis. P. C. q̃ præmiũ peto, satis sit hactenus uiri fortis nomen agnoscere, hucusq; auctoritatẽ sacræ legis attingere, ut illã in aduocationem sacræ mortis adducam. Relaturũ me putatis illa optionum uerba solennia, non capere magnorũ pretia meritorum solas æquitates, tanta remunerandum benignitate, q̃ fortiter fecit aliquis, quanta sollicitaretis ut faceret? Nemini unq̃ minus soluendo ciuitas fuit, præstiti post quod mori continuo deberem. Sed securi estote de auiditate summæ potestatis, illud infinitum, illud immodicum, qd̃ nobis uoluerũt licere leges, intra se cõsumit ille, q̃ meruit. Titulos, imagines, honores seruate uicturis, mihi præstate salutem pr̃is, innocentiã meã, temporũ pudorem. Quæso ne mihi ideo præmium negetis, quia fortassis & hoc debeatis odisse, q̃ fortiter feci. Extra inuidiam est optio, cum id exigam qd̃ impetrare potuissem etiam antecq; fortiter facerem. Nam q̃ obiter optionis reddo rõnem, quæso ne quis ideo me parũ, aut p̃mio fidere credat, aut causis, quia utriusq; iuris miscui p̃ces. Ignoscite ardori perire cupientis, q̃ pariter imploro, quæ singula sufficere potuissent. Fidem quinimo uestrã, siqua adhuc lex est, quæ adiuuare possit mori uolentẽ, cõmodate, conferte, est utriusq; iuris & auctoritas, qd̃ ĩ mea morte tribuatis. Præstate causis ut moriar, p̃mio ut sepeliar. Sentio P. C. hoc primũ ab effectibus publicis petendum, ne quis ideo mori me uelle non credat, quia potius ad causas ac uerba confugi, quia a uobis malui petere, quicquid ab his potui manibus accipere. Merui fateor malignas interp̃tationes, uir fortis ut morerer a bello reuersus arma posui, populi fauorem, gaudia ciuitatis intraui. Sed siue hoc est sepulturæ suæ magna reuerentia, pessimæq; additæ pectoribus humanis infirmitates, ut eẽt quod timeret, qui non timet mortem, siue decuit innocentiæ amore pereuntem tranquillitas magna pereundi, ignoscite quæso contationi, patiẽtiæ, moræ. Si me cõtinuo occidissem, tanq̃ parricida moriebar. Neq; est. P. C. q̃ excludi p̃mium putetis contradictione patris. Eximus per magnorum operũ reuerentiam de necessitate parendi, & aut interim nobis magna uenit contra nominis huius potentiam de uirtutũ fauore libertas, aut obsequia peracta demum optione repetemus. Non ẽ q̃ uos resistentis moueat auctoritas neminem inuenias mori uolentem, qui non habeat aliquẽ uetantem. Ille cui præsto non sunt pignora charitatis, lachrymis tamen audientiũ, & consolationibus, & promptissima semper exhortatione retinetur. Parentibus uero circa liberos unus affectus est, fauere uitæ, timere mortem. Non habent patientiam nec iustæ orbitatis, & inter supplicia nemo pœnasq;, omnes tamen illis innocentes, omnes miseri sumus. Ego P. C. communẽ hanc impatientiã senis accendo pietate, reuerentia. fieri non potest ut se mori debere persuadeat patri filius, propter quem se uideẽ occidere. Hactenus leges, hactenus merita uirtutum, ueniamus ad necessitates. Mori uolo, mori uolo ita, ut reddidi causas, ita nõ ex hac destinatiõe sententis quicquid dici nõ põt? Viderit quid nos hucusq; protulerit, hinc incipit rõ. Quod uolo, singite unum ex populo turbaq; petere ius præmiorum. Non debet hoc uetari, quoties habet causas. non potest, quoties non habet. Scilicet enim uerendum est, ne ad hoc inconsulte, ne temere leuitas humana profiliat, & credibile est, ut quicquid apud hominẽ pro uita dici potest, ipsa sibi uita non dixerit. Abite gratulationes, filete blanditiæ, quoties iam putatis noluisse me mori? Primum hoc maximũ, quod pro incolumitate hominis natura commenta est, ut periremus inuiti, & contra tot aduersos casus, patiẽtiæ nobis æquanimitate succurreret. Inde ẽ q̃ inter luctus & desperationes fœda uiuacitate duramus. An uos me moueri non creditis q̃ iuuenis sum? q̃ modo uitæ uoluptates, modo gaudia lucis ingressus sum? Quantopere mihi blanditur, q̃ publicis ex acie reportatus humeris lætitiam ciuitatis impleui? Quoties me Her-

cule, hæc uulnera & rorantia hostili cruore arma cõplexus, animum supra necessitates erigo, supra fatum pono. Sed omnia mihi iam discussa, consumpta sunt, & honesta pereundi ratione uicta cesserunt. Quid mihi amplius cũ corpore, qd oderũt oculi sui, cũ quo ꝗtidie properãs anima rixat? Non sunt mea membra, quæ possim (uelut hostis alicuius) lacerare, confodere. Homini qui semel renuntiauit rebus humanis, non reddit uita, sed tempus, & ipsa cupiditas ratioq; pereundi hoc ipso quo uetamur, accrescit. Fœlicior me hercule qui morit anteq; debeat, anteq; uelit. Pene sero renuntiat uitæ, quisquis sic ad exitum peruenit, ut hoc illum facere nemo miret. Ei tantum debet mors negari, de quo nõ sufficit hoc pœnæ genus, ut ipse se potius occidat. Nam ꝙ lex iussit, ut moriturus redderet causas, ꝙ insepultum uoluit abijci, si sic properasset erumpere, ut non nuntiaret, hoc prius non fateret, fallitur quisquis ideo factũ putat, ut teneremur in uita. Illa uero nõ timet pereũtis temeritatem, nec secretum doloris alieni libenter inquirit. Sciebat illos non aliter ausuros ꝓferre causas, quos sceleris conscientia, quos maioris cruciatus metus in suprema compelleret. Igit ne supplicia ꝓperato lucrarent obitu, rursus in pœnam nocentis insepulti corporis reuocauit iniuria. Lex placida, mitis, causas mortis reddi uoluit, nõ æstimari. Possum igit. P. C. publica quadã uoce generis hũani rndere q̃rẽtibus causas mortis interrogatus, at ego difficilius redderem uitæ. Quid iuuat o misera mortalitas animã per tot annos (etiã si natura patiat) per infinita temporꝫ spacia tristissimo corporis retinere complexu? Si cuncta gaudia nostra, si uoluptates, & q̃cunq; ex hac uniuersitate mũdi uel sollicitant aspectu, uel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota uita hominis unus est dies. Humiles prorsus abiectæq; mentes, quas non implent hæc eadem, semperq; redeuntia. Vt quis honestis operatis artibus sciat quis finis bonorꝫ, quæ uera fœlicitas, nunq; sibi uidebitur præmatura morte periturus, & lucis causas ad animũ mentẽq; referentium neminem ꝗtidie uita non satiat. Relaturꝫ me nunc putatis, quanto plura sint in hac æui breuitate fugienda, cõparaturꝫ gaudijs proprijs metus, calamitates? Illa illa æstimemus ꝓpter quæ fatigamus uotis deos, propter quæ breuem q̃rimur ætatẽ. Nempe sunt uanitas, cupido, luxuria, libido. Non pudet ꝓpter hæc ferre debilitates, luctus, spacia morborꝫ, & cum liceat euadere, malle pati? Finge tibi uelut ipsam proclamare naturam. Receptus es in hoc pulcherrimũ mundi rerumq; consortium, & per succedentium uices in ordinẽ mortalitatis natus, bona nostra uidisti, admitte posteros, cede uenientibus. Nesciste quanto diutius uixeris, tanto magis impatiẽtiam parere? Quantumlibet prorogentur tempora, iungant ætates, quandoq; tn non potest non exitu perire miseri, qui morit inuitus. Miraris ꝙ suprema mea ipse præcipitẽ. Nunquid em non hoc agunt singuli dies? Omnis nos hora per tacitos fallentesq; cursus applicat fato, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione districti, per exigua festinantis æui momenta præmorimur. Faciamus potius de fine remedium, de necessitate solatium, exeamus sponte, consilio, pleni securitatis, grãs agentes. Solus uixit quoad uoluit, qui mori mauult. Indulgete quæso sæuæ tristesq; causæ, indulgete uirtutes, ut mori tanq; magno animo uelim. Ita non sufficit ad maturandos exitus qd fortiter feci? Infirmæ prorsus terrenæq; mentis est, ut numeretis annos, ego (quæ fœlicissima uel lassitudo, uel satietas est) uirtute cõsenui. Quid adhuc inter accidentia fragilesq; casus ago? Homo receptus in publicas gratulationes præsentiæ humilitate decresco. Minores fiant necesse est diuturnitate, quorꝫ initia confirmauere successus, cum iam nec operibus, nec fœlicitati possit accedere. Cũ fortuna ruere demẽtia est, & ætatem trahere pereuntẽ. Nullos ego senes degere turpius puto, q̃ qui fortissimi fuerunt. Vultis expectem, ut putres artus fœdet pudenda canities, ut sanguine membra uacuata uix nitant ad gressus, ut hæ laudatæ manus, nec ad ꝗtidianæ uitæ ministeria sufficiant? Quã miserum, q̃ deforme est, meminisse qd fueris, referre cicatricum tuarꝫ redundationes, & frigidam præteritorꝫ memoriam, cum iam fidem membra non habeant, supra sua facta rideri? Festinato exire de sæculo debeo, dum alacre corpus, dum spiritus uiget, dum teneor, dum desideror, & hoc uolo deberi manibus meis, animo meo. Fauete dij pariter atq; homines, mortem uir fortis inueni. Est hæc cõmunis mihi cum multis fortasse causa, sed ueniamus ad meam. Si mihi mathematicus denuntiasset damna membrorꝫ, grauẽ corporis perpetuũq; languorem, ignosceres tanta mala uel incerta fugienti. Plus est qd expauesco, qd timeo. Minatus est mihi manus meas, meos animos, nullumq; uoluit esse momentũ, quo securus intrepiduſq; requiescerẽ. Iussus sum uitam per anhelitus, metusq; consumere. Quis inter hæc spei, quis consolationis est locus? Mori debeo tanq; nocens, si mathematicus uerum dixit, tanq; miser, si mentitus est. Quid, ꝙ me futurꝫ dixit, parricidam? En quem mittamus in experimentũ, cui credamus. Placet post futurorum incertam tractare rationẽ, quid ad diuersas persuasiões, & ad loquacissima humanorꝫ pectorꝫ ingenia uariaris? Parricidiũ dictus sum facturus, si possum post hæc uiuere, nõ sum

innocens,

innocens, etiam si non fecero. Interrogare me hercule hic libet uos omnes liberi, omnes parentes, quem mihi post hanc denuntiationē assignetis animū. Homo sum cuius corpus iratū fortasse sæculo numen, uelut aptissimā facinori uidetur elegisse materiā, cui in primis continuo natalibus assignata est uirtus pariter & facinus, oīm incredibiliū diuersorumq; pariter capax, omnibus difficultatibus nouitatibusq; sufficiens, sceleribus miser, & sine morte sua nocens, in quo debeatis ipsas quoq; odisse uirtutes. Nescio quæ me ꝓdigiosa feritas in patrem uelut telum aliquod casurumq; pondus librat, impingit. Facinus me manet, qd cōtra fidem est, qd profuturū mihi negatur, & nolim, cuius non tempus, non locus, nō causa prædicitur. An mori debeam uos æstimabitis, non debui nasci. Sentit pater quanta sit prædicti sceleris immanitas, & ideo tentat efficere, ut mathematicam artem non putetis, ac modo contendit non esse fatum, & cuncta casu fortuitoq; decurrere, modo etiam ut prouidentia regantur, non posse tn humana scientia deprehendi. Dum utrunq; colligo, interim apud grauitatē uestram depono sensisse aliquid patrem, etiam cum metuit. Ego mathematicū probaui dixisse uerum, ille credit esse dicturum. Casu ne tibi pater hæc diuersitas uidet in corpus unum dissentientibus solidata primordijs, ut summo uertice locatus igneus uigor cuncta leuia calidi spiritus ardore suspenderet, profundus humor ad ima demersus, unde quotidie superpositi caloris alimenta traherent, terrenū pondus in medio, quanto superne spiritu, tanta penitus inanitate subnixū librata mole consideret, ut sæculorꝫ infinita series, per assiduas tēporꝫ uices sua lege festinet? Quid hæc fulgentiū siderꝫ ueneranda facies? ꝓ quædā uelut infixa ac cohærentia perpetua semelq; capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetiuntur erroribus? Ista credis passim fortuitoq; disposita? Rogo quid melius ratio fecisset? Deus hæc, deus fabricator operis uniuersi ex illa rudi primaq; caligine protractū posuit in uultū, digessit in ꝓtes. Postq; dederat uniuersitati parem dignamq; faciem, spiritum desuper quo pariter animarent immisit. Inde est ꝓ quicquid nascitur consociata numini proprietate signat, & in totā æui sui breuitatem compositum firmatumq; sic accipit futura, quasi uitā. Hæc credo pater terrori primis fuisse mortalibus, mox admirationē consumpta nouitate meruisse. Paulatim deinde hoc qd stupemus, animus ausus diligenter attendere, in arcana naturæ sacrum misit ingeniū, & ex assiduis obseruationibus notisq; redeuntibus latentiū ratione collecta, peruenit ad causas. Miraris fatum hominis posse prædici. Defectiones siderum laboresq; narrant, nuntiatur origo tē pestatum, lassitudo uentorꝫ, quod sidus immodicos solis ardores, qd seueras minet hyemes, quid significent sparsi longius crines, quid ardentius solito iubar, quid excussa flamma sideribus. Non inuenio quid possit esse certius ueræ artis ingenio, q; dicere quid futurū sit, fieri deinde qd dixerit. Quod si esse artem mathematicam probant natura, ratio, experimenta, pater quoq;, qui credidit consulendū, superest ut ostendamus uerꝫ dixisse de futuris, quē de præteritis non possumus probare mentitum. Accipite primā certissimæ scientiæ probationē. Homo qui de partu consulebatur, non confudit turbauitq; responsum, nec per uarias ambages indeprehensibilem sparsit errorem, nihil ita locutus est, ut illud audientiū interpretatio traheret dirigeretq; quo mallet. Atqui in eo tota ratio fallendi est, non dare consulentibus qd deposcant, sed caligine magnaq; promissorum uarietate suspensos sic dimittere, ut quicquid casus attulerit putent esse prædictum. An scilicet hæc fuerit ratio fingendi, ꝓ dicebat usitata, cōmunia, quæ futurus pater facile crederet, libent audiret? Fortiter, inquit, faciet filius tuus Rogo ubi magis desinit, qui mentit? Sed quibus ille, dij deæq;, signis, quibus impletus est notis, qui de parricida dissimulare non potuit, cum quæreret pater? Artem tātum mirari me pater putas? Ego miror animū, stupeo constantiam. Erit, inquit, uir fortis & parricida. Rogo quæ ratio fallendi est ea dicere propter q̄ nec prioribus debeat credi? In parricidio, qd prospiciebat mathematicus, hæc sola ratio fuit mendacij, ne prædiceretur. Fero tn, ut quis in alijs consultationibus decipi possit aut errare, de futuro parricida non magis mathematicus potest, q; pater interrogare. Omnes, sicuti apud sacræ artis antistites satis constat, animæ proprietates, & futuras mentium corporūq; formas ex illorꝫ siderum qualitate, quibus in ortu suo cuncta gignūtur, accipiunt. Aliquis uagi numinis errore perstrictus est, uitā transigit ille discursibus. Placida conceptum stella signauit, erit modesta lenitate conspicuus. Ardens nascentis horā sidus accendit, uitiis pariter moribusq; flagrabit. Languido iam uergentis in procliue mundi, hebescentibus tardior membris, similis senectæ iuuenta pigrescit. Iam si cui principaliū deorꝫ fulgor illuxerit, in populi consurget imperium. Credo me hercule in illum natalem monstri mei diem, iratorꝫ numinum conspirasse uiolentiā, sedemq; prodigiosi spiritus collato pariter igne pressisse. Si uerū est post uetusta sæcula, & innumerabiles annos reddi rursus alijs corporibus animas, fortassis in me renatus sit aliquis ex illis, quorꝫ scelere uiolatus dies mun-

dum subito mutauit, q̃s maria terrasq; fugientes, furiales faces, & ultricum deaꝝ terror agitauit. Necesse est & maiores notas uentura ꝓmittant, quæ non temere nascunt. Sic futuras tẽpestates, pelagi fragor, & conscium nemoꝝ murmur enũtiat, sic perituroꝝ fata populoꝝ ardentes cœlo faces, & crinita sideꝝ flamma p̃currit. Prædicebar bello, monstrabar armis, agebat añ se uentura feritas publicas calamitates, & oĩm maloꝝ consummatione parricida ponebar. At si nunc ista putet aliquis fortuito, non arte sentiri, possit fortasse casu euenire q̃d futurum sit, non p̃ot casu fieri q̃d p̃dictum est. Et q̃n unq̃ pr̃ explicuit manifestius illius fati necessitatem totus ordo responsi: Vir, inquit, nascet, euenit. Educabit, quãuis p̃dictum sit, accidit. Perueniet ad iuuentæ robur, adoleui. Viribus erit conspicuus, & nimis. Aderunt bella, uenerunt. Ibit in aciem te uolente, missusq;. Fortiter faciet, feci. Erit parricida, si uixero. Si pr̃ tam secretæ ꝓfundæq; artis rõ reddenda est, nonne habere tibi grande consortium p̃dicti uidetur ipa diuersitas? Virum fortem dixit, & parricidam. Vicina sunt hæc, etiam ut dissimilia, paria uiribus, etiam ut mente dissentiant. Quid em̃ me aliud notabilem fecit in bello, q̃ q; non parco cædibus, cruore non satior, exultans super stratoꝝ corporꝝ strages, palpitãtibus adhuc cadaueribus alacer insisto? Virtutis sunt ista cũ hostis contigit. Pax est quæ nos deꝑhendit, & cũ iusta grassandi materia cõsumpta est, in facinus necesse est otiosus ardor erumpat. Ecce iã Reipu. præbita est quies, mihi tñ plurimũ est cũ gladio meo, totis diebus tracto ferrum, ad arma respicio, tela mea laudo, admiror, alloquor. Crede pr̃, & parricidiũ tam facile est, q̃ fortiter facere, cũ utrũq; de fato est, Sed quousq; rõne colligam, q̃d exitu iam probatum est? q̃d nullis mathematicus dixit ambagibus, nullis dissimulari artibus p̃ot? Partem rñsi futurã in alio ope re iam uidisti, & q̃d p̃cipue torquet animũ, fides sceleris uirtus fuit. Explicata est auctoritas rñsi, cũ de duobus p̃dictis unum factũ est. Nec possis de ueritate dubitare, q̃ties cum incertis experimenta cõsentiunt. In rñso cui cuncta cesserunt, fieri nõ p̃ot ut hoc solum falsum sit q̃d nouissimũ est. Non p̃ot, inquit, fieri parricidium. Vis mirer pr̃, si non credit futuꝝ, q̃d etiã cũ factum est, uix credit? Falleris si aduersus p̃dictas necessitates sufficere credis, q; ego bonus filius sum, q; tu optimus pr̃. Tu nõ mereris scire. Credo, ego utiq; nollẽ me scire. Quid ẽ ergo fatum nisi q̃d fit, & non habet causas? Quẽ admodũ ergo, inquit, istud uitari p̃ot si fieri necesse est? Scilicet hac sola rõne, ut mors inter facinus hominẽq; ponat. Vincit pr̃ fatum si resistas, uincit si cõtempseris. Ago quinimo gr̃as hoc solo nomine crudelissimis fatis, q; maximũ factum nõ in prima æui mei pte posuerũt, q; p̃missæ sunt añ uirtutes, magnoꝝ q; operꝝ prior ordo defluxit. P̃ot puto caueri parricidiũ, q̃d & p̃dicit, & nouissimũ est. Fingamus pr̃ mathematicũ de hac sola uitæ meæ parte mentitum, quid tanti est, ut credam ista & uiuã? Occidi pat non p̃ot. Sed quid refert si difficultas ista non ẽ salua aĩo meo? Excedit oẽm calamitatẽ, innocentiæ suæ nõ credere, diebus ac noctibus timere, suspectũ habere animũ suũ, calumniari manus, incusare uisus, & parricidalẽ agere cogitationẽ. Maior mihi rõ moriendi est, si parricidiũ fieri non p̃ot, & ego me credo facturꝝ. Quẽ tu mihi pr̃ imperas laborẽ q̃ asperam exigis patientiã? Horreo oscula tua, ne seniles artus nimiũ grauis amplexus elidat. Non sustineo eos dẽ expetere cõuictus, ne q̃s porrexerim cibos, uenena fiant. Timeo eiusdem peregrinatiõis adire comitatũ, omne fugio secretũ, ne quid fortuna, ne quid afferat casus. Quousq; timebit animus? Mors mihi p̃stare p̃ot, ne parricidiũ faciã, mors ut uidear nec fuisse facturus. Sed me infœlicẽ, q̃ multa sunt quæ timere debeam, etiã contra animũ meũ. Vnde scio, an expulsum me repẽte sensibus meis aliqua magni discrimis imago raptura sit? Prosilibo fortasse tanq̃ sequar classici uocantis instinctum, tanq̃ me ruentis patriæ fragor, & uociferatio captæ ciuitatis exciuerint. Me sane custodire possum, sed unde scio quid afferat nox, casus, error? Mathematicus hoc non futuꝝ dixit ut uellem, sed ut occiderem. Tu q̃q; pr̃ quanto grauiores passurus es ex ipa dissimulatione cruciatus. Fœlicius prorsus ẽ palam occidisse quẽ timeas. Cum bñ in osculis meis amplexibusq; requiescas, subeat necesse ẽ tacitas cogitationes p̃dicti periculi metus, & licet componat ad fortem supbamq; constantiã, naturalis tñ homis infirmitas p̃ot tam percussorem timere q̃ mortẽ. Explica nos pr̃ tam misero tristiq; cõplexu, & longissimas sollicitudines breui recide patientia. Minus indignum ẽ ut moriar, si innocens futurus sum, q̃ ut uiuam, si parricida. Denuntio tibi pr̃, & de sup̃ma necessitate confiteor. Iam non sunt meæ potestatis hæ manus, nõ regere dexterã, nõ retinere sufficio. Venit ille nescio quis ardor nõ sentio, nõ intuent oculi. Tunc oia incipio scire cum gesta sunt. Quid, tu me lacertoꝝ uiriumq; bñficio strauisse nuper hostes putas? Quantũ dicunt narrasse captiui, nescio quẽ in me monstrosi uultus horruere conspectum, non tela iaciebam, nõ iaculabar ictus, furialibus miser facibus ardebam, & pectus istud non lorica, nõ ferrum, sed diri serpentũ clauserãt nexus. Non fuit illud pugna, non acies, in bello parricida uincebam, excesserunt opera mea humanaꝝ uirium

rium mediocritatem, quicquid factum ē, rabies, insania fuit. Prædico, testor, nō ego parricidiū faciam, non ego fortiter feci. Quod si ulla rōne casuve effici pōt, ut p̄dicta non fiant, fidem uestram. P. C. ut mihi potius innocentia, q̄ fato debeat̄, ego dicar expugnasse constitutionem, fregisse uincula necessitatis, mea pietas, mea laudet̄ integritas. Dij nō sinant, ut int̄ me responsumq̄ decernat exitus. Mathematicū uincere malo, q̄ reprehendere. Quid nunc agam. P. C. quemadmodum me uir fortis ad p̄ces, quemadmodum parricida componam? Dicam miseremini? dicam succurrite? Sic rogari contra mortem solet. Nouo mihi inauditoq̄ opus est ambitu malorꝫ, nisi morior periclitor. Ideo uideor causas reddidisse ut contradiceret pr̄, & si bene noui malignas interpretationes, non exitum captasse dicar, sed excusationem. Explicate per fidē miseri pudoris æstum, nunq̄ uidebit̄ mori uoluisse parricida, si uixerit. Ad tua nūc genua porrigo optime pater has si uis tantum fortes manus, per ego si fas est quicquid feci, per hanc ipsam mei charitatem, qua me nondum timere cœpisti, miserere, filium pietate pereuntem ne uelis exitū facere parricidæ. Præsta mihi patiētiā qua me bello credidisti. Finge nos ī ipo prosperi martis cecidisse complexu, confectumq̄ magnis uulneribus cadauer efferri. Relinquo tibi pro me omēs parentes, hunc quo nos retinere uoluisses, in suprema mea transfer affectū, tuis manibus compone corpus, extrue rogos, funeri iusta persolue. Deinde cum iam nouissimis osculis, supremoq̄ discedens satiatus fueris amplexu, tunc te fas est sublatis ad cælū manibus ꝓclamare, Mathematice mētitus es. Reddidimus causas, peregimus preces, reliqua uos manus, uos adiuuate ciues, nō ut liceat mihi mori, licet istud etiam ut negetis. Vir fortis commendo uobis exitum meū, si non cōtinuo letale uulnus impressero, si non cum sanguine tota animā properans ictus egesserit, adiuuate dexteram, deprimite telum, & ante omia detinete patrē. Nescio q̄ lōge manū sparsurus sit fugiētis animæ dolor, quo cadat extractus mucro uisceribus, in quem se collabentis corporis ruina præcipitet. Vultis scire quantū debeam timere uicturus? Metuo ne patrem, dum morior, occidam.

¶ Argumentum Declamationis. V.

Liberi parentes in egestate aut alant, aut uinciantur. Quidam duos filios habebat, frugi, & luxuriosum. Peregre, ꝓfecti sunt, capti a piratis, luxuriosus lāguere cœpit. Ambo de redemptione scripserunt. Pater uniuersis bonis in unū redactis, ꝓfectus est. Dixerunt illi prædones, non attulisse illum nisi unius pretium, & eligeret utrū uellet, ægrū redemit. Qui dum reuertitur mortuus est. Alter ruptis uinculis fugit. Alimenta poscit pater, contradicit filius.

Pro Patre contra Filium.

QVamuis iudices in tanta malorꝫ continuatione iam poterā nihil ex accidentiū meorum nouitate mirari, nullumq̄ mihi reliquerint impatientiæ genus aduersa, quæ de solatijs remedijsq̄ creuerūt, Confiteor tamen hoc solum me prospicere, nullo metu, nulla tristiū recordatione potuisse, ut post piratas, orbitatem, famē, hinc quoq̄ calamitatibus nostris pondus accederet, q̄ reuersus est filius meus. Viuebam miser, ut hunc uiderem, solaq̄ superstitis expectatione suspensus, auidissimam moriendi cupiditatē contentiosa mendicitate fallebam. Pudet persuasionis, redisse se iuuenis affirmat, ut uindicaretur morte fratris, ut patris orbitate gauderet, nec intelligit maiorem se factis meis auctoritatem hac indignatione conferre. Nūc magis sentio quātum facinus fuerit ægrum nō redimere, queritē se relictum, qui potuit euadere. Vtcūq̄ igit̄ iudices poterā redemptionis illius reddere de p̄senti iuuenis impietate rationē, & mihi crudelitas ista præstabat, ut filium uiderer elegisse meliorem. Non utor tamen occasionis huius inuidia, nec quicquid miseræ pietatis impatientia feci, q̄rela mala defendere. Ego uero tunc mores liberorꝫ, mentesq̄ tractaui, nec mihi in illa tristissima cōditione succurrit de comparatione consiliū. Sola quid facerem necessitas, sola iuuenū meorꝫ aduersa suaserunt. Ex duobus liberis neutrū magis amat, qui redimit ægrum. Illud plane iudices ultra oēm malorꝫ meorꝫ fateor esse tristitiam, q̄ hac asperitate iuuenis, hoc inopiæ squalorisq̄ despectu famam optimi fratris incessit. Hominem qui piraticum carcerē, qui p̄donum uincula discusserat, decuerat ne uoluisset aliter reuerti, ex quo se nobis tanto uiriū labore restituit, poterat q̄q̄ eius admirationem mereri, qui pretio paulo ante cessisset. Dij immortales, quā laudē, quem gloriæ fauorem impleuerat, si placeret patrem, redemerat fratrem. Relaturus uobis iudices ordine malorꝫ meorꝫ euentum, quē nemo tam crudelis, nemo tam sæuus audiet, ut me non pascat, hunc ante omia, qui se queritur in fratris comparatione damnatum, secreti doloris indignatione conuenio. Quid agis impotens superbe? Tu nescis utrum fuerim redempturus ex duobus sanis, ex duobus ægris. Habui em̄ iudices, filios diuersissima mētium corporūq̄ qualitate compositos, & sicut mox probauit sæua captiuitas, in totam dissimilitudinē uitæ quoq̄